

*De Thesauro arte magica invento.*

5

lius &c. 2. Late in Jure nostro sumitur pro re-  
positione quarumcunque opum ac mobilium,  
*L. 15. ad exhib. L. 44. pr. de acquir. & amitt. poss.*  
3. Stricte pro veteri pecuniæ depositione, quæ  
jam dominum non habet, *L. 31. §. 1. L. 63. pr. de*  
*A. R. D. L. 7. §. 12. de Solut. matr. L. un. C. de thes.*  
*X. 15.* quæ significatio hujus loci est. 4. Deni-  
que etiam accipitur pro quacunque re, quam  
maximo amore prosequimur, ita in sacris *Luc.*  
*XII. 34.* hac in significatione ponitur: *Ubi est*  
*thesaurus tuus, ibi cor tuum.* Sic Germanis in  
eadem Significatione *Schatz* dicitur.

Th. 7.

Significationem nunc THESAURI vo-  
ces ARTE MAGICA excipiunt, quæ con-  
junctim consideratae idem denotant ac vox MA-  
GIA in genere sic dicta, quæ tale est crimen,  
quo quis adhibitis illicitis artibus, diabolo co-  
operante, hominibus eorumve bonis nocet, illos  
deludit, & miraculosa facere conatur, aut divi-  
nandi curiositatem profitetur, *L. 4. §. 6. C. de*  
*malef. & mathem. &c.* Olim magiæ nomen  
honorifice fuit usurpatum solisque Sacerdotibus  
tributum, *Osiand. de Magia, tb. 1. §. 4.* Olim  
A 3 quoque